

& proximam, per quam omnem demonstrationē fieri necesse. Liquet igitur ex dictis, quid sit epharmosis, quādo & vbi in geometria locū habeat, & quomodo ad Mechanicos sit translata.

Monstratur, quid de proportione recti ad curuum sentiendum.

CAPVT IX.

VT quæstionem hāc decidere possimus, an curui ad rectum sit aliqua proportio? primū in genere quædā de proportione ex lib. 5. Euclidis repetemus, deinde ostendemus, quomodo per distinctionem ad quæstionem propositam sit respondēdum. Definitionē tertiā libri 5. Euclidis sic explicat Campanus: Proportio est duarum, quantæcunq; sint, eiusdem generis quantitatum, certa alterius ad alteram habitudo. Proportio est habitudo duarum rerum eiusdem generis ad inuicem, in eo quod earum altera maior aut minor est reliqua, vel sibi æqualis. Non enim solum in quantitatibus reperitur proportio, sed in ponderibus, potētis & sonis. In ponderibus quidem & potētis vult Plato in Timæo esse proportionem, vbi elementorum numerum ostendit: in sonis autem esse proportionem liquet ex musica. Nam vt vult Boetius in quarto, si quilibet nervus in duas inæquales partes diuidatur, erit ipsorū partium suorumq; sonorū eadem cōuerso modo propor-